Omnis igitur de bonis multiformis gratie apparent in nobis, referatur ad ipsum laus laudabilium ſiquidem unitorem auctorem liberatorem et largitorem. Id quod non fiat quemadmodum ab ypocritis, non ſola conſuetudine ſicut a ſecularibus, ſed nec quadam neceſſitate, ut iumenta ſedentibus oneribus applicantur, ſed ſicut decet ſinceritate fidei, devotione ſollicita, hylaritate grata ſed non diſſoluta. Immolantes itaque hoſtiam laudis et reddentes vota nostra de die in diem, currentesque omni vigilantia in gradus, ſenſum uſui, affectum ſenſui, exultationem affectui, ſerenitatem exultationi, humilitatem ſerenitati, libertatem humilitati, quo interdum liberis, purgate mentis paſſibus procedamus et excedamus per inuſitatas quaſdam affectiones, ſpirituales leticias, in iubileis amenitatibus, in lumine dei, in ſuavitate in ſpiritu ſancto, probantes nos comprehenſos in hiis quos propheta intuebatur cum diceret. Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Et in nomine tuo exultabunt tota die et in iuſticia tua exaltabuntur.

Hec ille ubi ſupra.

O quam felix et ſapiens qui oblatum convicium et illatum improperium ſibi inflectit ad commodum, ut inde fiat manſuetior ad correptionem. Inde patientior ad laborem, ardentior ad amorem, inſagatior ad cautelam. Inde humilior pro conſcientia. Inde acceptior per verecundiam. Inde ad obediendum paratior. Inde ad quietem atque devotior ac ſollicitior.

Aliud est consciencia Aliud tymor consciencie
Tunc enim est consciencia quando quis sententialiter iudi
cat aliquid faciendum vel vitandum contra tale etc
consciam facere si sit erronea peccatum est Sed contra
tymorem consciencie facere non semper est peccatum quia
talis tymor non est semper diffinitiua sententia rationis
per quam iudicet se teneri ad aliquid Sed ex eo quod
vacillet multum dubia nesciens quid sit melius vel
ad quid teneatur potius tunc tamen non obmitteret quod
quis sciret placitum diuine voluntati

Consciencia vt dicit Johannes Damascenus Est
lex intellectus nostri.

Consciencia est credulitas intencionis ad aliquid
faciendum vel non faciendum animi deliberacione firmata.